



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

10. An liceat dare hostiam consecratam piis personis domi asservandam,
ut ipsam si peste corripiantur sumant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

ARTICULUS X.

Vtrum liceat dare hostiam consecratam piis personis domi asservandam ut ipsam si peste corripiantur, sumant.

Hanc quæstionem movet Chapeaville ubi sup. q. 36. Et dicit sibi relatum fuisse, quod ita factum sit in quodam Religioso Monasterio; quod petierint & impetrarint à suo Confessario (tempore quo Monasterium peste correptum erat) plures hostias consecratas, quas in sacrâ Pyxide asservabant, & peste infectæ aliquam inde sumebant. Quæritur utrum hoc sit licitum?

Verum est quod in primitivâ Ecclesiâ permittebatur, ut S. Eucharistiam secum domum deferrent, quam suo tempore devotè sumebant. Quod patet ex S. Basil. Epist. ad Cæs. Patrium ubi dicit. *In Alexandria & Egypto unusquisque de populo habet Communionem in domo suâ, acceptam à Sacerdote Sacrificante, & distribuente.* Testatur idem Tertull. lib. 2. ad Uxorem: *Nesciat Maritus quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit, panem non illum esse credet qui dicitur.* Citat autem Sanctum Augustinum Sermone 156. de tempore ubi nihil de hoc habet, sed serm. 252 Videatur de illâ antiquâ consuetudine Spondanus an. 574

X.

an. 57. n. 43. ubi dicit illum usum fuisse intro-
ductum tempore persecutionis, quando non
licebat sæpe ad Ecclesiam convenire. Citat
autem de hoc plurimum antiquorum PP. Testi-
monia; in quo usu fundabatur illa opinio seu
abusus de quo est quæstio.

Insuper in concessione factâ Reginæ Sco-
tiæ de quâ præcedenti articulo dictum est.

Respondetur tamen hoc non jam amplius
in Ecclesiâ licere, sine speciali summi Pontifi-
cis dispensatione, qualem habuit piissima illa
Regina. Usus autem ille primitivæ Ecclesiæ
permittebatur illo tempore persecutionis,
propter paucitatem & raritatem Ecclesiarum
& Sacerdotum, & quando vigeat prima cha-
ritas, & Spiritus Domini erat in rotis. Postea
verò refrigerante charitate, & pietate Chri-
stianorum, severè id prohibitum fuit: primò
quidem in Ecclesiâ Occidentali tempore Hor-
misdæ Papæ, quando in Conc. Cæsar-augusta-
no hoc abrogatum fuit sub Anathemate. Imò
& in Toletano 1. c. 14. Et si statum hujus-
temporis consideremus, facilè apparebit quod
ita omnino fieri decuerit, non tantum propter
multorum tepiditatem, imò & impietatem,
sed etiam quia passim malefici & sagæ, hoc
Sacramento abutuntur ad sua maleficia perpe-
tranda. Ac proinde nullâ ratione hoc amplius
permitteri potest, nisi accedente summi Pontifi-
cis dispensatione, qui in negotio tanti momen-
ti non se facilem præbebit.

X 2

ARTI-